Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1545
Quelle:
Copyright:

di munus auſpicaretur, in illud: *Meum eſt conſilium et equitas, mea prudentia* &c. *Prov.* c. 8. Initium: *Summa atque imperſcrutabilis altiſſimi prudentia creatoris* &c. Opportuna ſunt, quae Juventuti adhibet, praecepta, ſed ea pro aevi guſtu adcumulatis autorum ſacrorum profanorumque teſtimoniis obſcurantur potius, quam illuſtrentur. Nullum cetera veſtigium, quod aut ad autoris, aut loci notitiam deducat.

XVII. *fol.* 278. *Queſtio de varijs caſibus qui poſſent occurrere celebrantibus, et in bijs quomodo celebrantes ſe habeant.* Additur ex latere: *M. Vrbani Mellicenſis.* Initium: *Quia in miſſa ſacerdotibus celebrantibus varii caſus ſolent occurrere, Ideo queritur, Vtrum bijs caſibus et defectibus qui circa celebrationem huius ſacramenti occurrunt, ſufficienter poſſit occurri, obſeruando ſtatuta eccleſie* &c. Caſus hic propoſiti reſolvuntur ferme ab omnibus, qui aevo poſteriore de univerſa Morum Theologia ſcripſere. Rubrica ad calcem: *Explicit hec Venerabilis Magiſtri Vrbani de Mellico Sacre Theologie Profeſſoris.* Virum hunc annis 1427. et 1434. Academiae *Vindob.* cum poteſtate Rectoris praefuiſſe tradit *Georg. Ederus* in *Catal.* Inter *Scriptores Univ. Vindob.* refertur P. I. p. 108. neque tamen ibi Opuſculi noſtri, ſed tantum *Diſputationis Ethicorum*, et *Tractatus in IV. Libb. Sentent.* fit mentio.

XIX. *fol.* 281. Codicem abſolvunt *Anonymi Sermones III. prima tria Decalogi Praecepta exponentes*, quorum primus incipit: *Cogitatum habe in preceptis dei et in mandatis eius maxime aſſiduus eſto. Ita ſcribit ſapiens* &c. Hoc Sermone longus Superſtitionum illius aetatis texitur index.

CCCCXV.

Codex partim membraneus, 200
partim chartaceus, lat. germ. Sec. XV. Folior. 243. f. a diverſis per duas columnas exaratus ſequentia Opuſcula complectitur: I. absque titulo Tractatum *contra IV. Articulos Huſſitarum*, qui incipit: *Iuſſit reuerendiſſima veſtra paternitas ac metuendiſſima Dominatio* &c. et jam pluries indicatus eſt, autore *Petro de Pulka.*

II. *fol.* 47. Ejusdem, ut videtur, *Adlocutio Synodalis*, hoc initio: *Patres Reuerendi nos ad contenciones non ſumus congregati* &c. Etiam haec jam producta fuit *Cod.* CCCCXII.

III. *fol.* 51. absque titulo: *Johannis Hoffman de Swydnitz* Tractatus eruditus *contra Communionem Laicorum ſub utraque Specie.* Incipit: *Debemus nos inuicem diligere. ita ſcribitur Prima Johannis 4° originaliter et legitur tranſſumptive in currentis dominice miſſali officio exemplariter. Reuerendi Patres ac fratres in chriſto dilectiſſimi, ceterique Domini*